

reddunt debitum Deo, illa videtur perfectior, quæ magis de perfectione et obligatione justitiæ participat. Nec refert quod in constituenda æqualitate magis videatur deficere pœnitentia quam religio, ut supra insinuavimus; nam, ut notavimus ex D. Thoma, dicta quæstione 81, articulo 1, ad 1, defectus æqualitatis, cum non sit voluntatis, sed potestatis, parum minuit perfectionem virtutis. Magis vero illam auget, quod ad conservandum illæsum omne divinum jus, quantum in se est, toto affectu tendit, et quando læsum est, illud, quantum potest, restaurare studet. Et in Psalm. 50, maxime commendatur sacrificium contriti cordis, ut notavit Augustinus, 10 de Civitate, capite 5. Nec D. Thomas alienus est ab hac sententia, in illa quæstione 81, articulo 6. Nam cum facit comparisonem simpliciter, solas virtutes theologales præfert absolute pœnitentiæ. Cajetanus vero saltem æquiparat pœnitentiam religioni, quia illas non distinguit. Unde cum religio numerari

solet inter virtutes proximo loco post theologales, intelligendum existimo de religione in communi et generice, prout omnem justitiam ad Deum sub se comprehendit.

18. *Comparatur cum prudentia.* — Ultimo fieri potest comparatio religionis ad prudentiam, sed hanc omittimus, quia est inter res diversorum ordinum. Prudentia enim non tantum moralis, sed etiam intellectualis est virtus, de cujus præstantia supra reliquis virtutes morales alibi dicendum est. Atque, ex his quæ diximus de virtute religionis, satis videtur natura ejus declarata, simulque causas, materiam et effectum ejus exposuimus generatim; nam in particulari tractari amplius non possunt, nisi discurrendo per singulos actus internos et externos hujus virtutis, quod in sequentibus tractatibus faciemus, simulque dicemus de præceptis pertinentibus ad hanc virtutem, quia hæc dantur de actibus in particulari, et quia doctrina moralis circa particularia etiam versatur.

FINIS TRACTATUS PRIMI.

## TRACTATUS SECUNDUS

### DE PRÆCEPTIS AFFIRMATIVIS RELIGIONIS

# AD DEI CULTUM ET ADORATIONEM,

PRÆSERTIM EXTERNAM, PERTINENTIBUS.

*Tractatus hujus institutum explicatur. — In tria capita dividuntur actus ad religionem pertinentes. — Tractatus distributio.* — Explicata doctrina quasi speculativa virtutis religionis (servando methodum, quam in pertractandis aliis virtutibus, vel sacramentis tenere soleo), materiam moralem hujus virtutis, quasi generaliter in hoc et sequenti tractatu tradere decrevi, priusquam ad nonnullos particulares actus ejusdem virtutis, qui, sub specialibus et propriis rationibus, proprias et prolixas postulant disputationes, descendam. Quia vero doctrina moralis de actibus humanis datur, et, ut practica sit et utilis, ad particularia descendere debet, ideo necessarium erit in præsentem de nonnullis actibus religionis in particulari dicere. Tria vero capita illorum actuum distinguimus, ut totam moralem materiam comprehendamus. Primum complectitur actus qui, secundum substantiam suam, pertinent ad alias virtutes a quibus eliciuntur, licet a religione possint ad suum proprium finem imperari, ut sunt actus fidei, humilitatis, et virtutum omnium, ut supra tractatum est, et statim attingemus. Secundum comprehendit actus qui, ex intrinseca ratione sua, continent cultum Dei, et in nulla alia specie virtutis per se collocantur, quos ad tres revoco, qui sunt oratio, juramentum, et votum; et ad orationem devotionem reduco; quamvis enim propriissime sumpta magis pertineat ad affectum cultus quam ad cultum (hæc enim duo distincta sunt, ut supra declaravi, et statim attingam), tamen, quia devotio maxime comitari solet orationem præcipue mentalem, de hac tractando, simul rationem devotionis et obligationem declarabimus. Tertium genus est illorum actuum, qui ex se non habent aliquam rationem virtutis aut cultus, assumuntur tamen ad protestandum divinam excellentiam; cujusmodi sunt actus quidam externi, ut genuflexio, sacrificium, et similes. De primo ergo genere actuum nihil dicendum est, quia proprias habent rationes et præcepta, quæ aliis in locis considerantur; quomodo autem applicari possint ad cultum Dei, obiter attingemus. De actibus vero secundi ordinis, quantum ad ea quæ illis propria sunt, dicemus postea; hic enim solum ea quæ generaliter pertinent ad rationem cultus, ad illos poterunt applicari. In hoc ergo tractatu solum explicabimus illa præcepta affirmativa, quæ circa actus tertii ordinis versantur. Dividemus autem hunc tractatum in tres libros. Primus erit de præceptis pertinentibus ad actus ipsos: in secundo vero et tertio, de temporibus ac locis ad divinum cultum destinatis disseremus, quoniam hæc duæ circumstantiæ præcipue spectantur in divino cultu, et materiam continent, ad complementum hujus doctrinæ maxime necessariam.